~~N.º 79~~ 1

N.º 39.

Dissertatio Chirurgica Anatomica de Cataracta

Alcala

et duabus observationibus duorum coecorum feliciter curatorum per simplicissimam brevissimamque operationem extractionis cristallini factam a D. D. Jacobo Alcalà Noro comii Valentini Regalis Generalis atque Militaris Primario Chirurgo, ac Chirurgorum Collegii ipsius Civitatis Alemno, in Valentina Universitate, et Aula Anatomica cum Decr. Perillust. Valentini Urbis Senatus Chirurgiae olim Demonstratore, et nunc in Chirurgica eiusdem Collegii Valentini Academia cum Regali Decreto Magistro et Publico Demonstratore, ac Societatis Medico-Chirurgicae Matritensis Socio honorario.

Cote seize pages

Prooemium

Etsi in singulis corporis nostri organis incredibilis partium varietas observetur, omnium tamen praestantiam longissime superat oculorum optica, qua colorum omnium iucundissima perceptio peragitur. Quamobrem istius organi conservationem, ac vitiorum eiusdem emmendationem nostra plurimum interesse, in comperto est. Illud autem â morbo Cataracta nuncupato ut plurimum impediri solet. Qua de causa cum Ferdinandus VI. Hispaniarum atque Indiarum Rex oculorum valetudini quam maxime cautum esse vellet; unum è peritissimis Galliae Professoribus accersiri iussit, ut in Mantua Carpentanorum de oculorum morbis quoscumque vellent, erudiret: quod egregie praestitit Mr. Daviel, qui ut Regiae praeclarissimae voluntati satisfieret, anno 1754 accessit. Etsi vero de Cataracta quam plurimi dubitaverint, atque in modo operandi needum convenerint; tamen quia non variis solum observationibus, et demonstrationibus anatomicis tum in oculis humanis, tum etiam aliorum animalium methodum extractionis cataractae exactissime perscrutatus sum; sed propria etiam inquisitione, et plurimo-

rum praeceptorum colectione (praesertim vero cum operationi adessem peritissimi M.r Ludovici Beran ger amici mei integerrimi) animadverti, catarac tae extractionem utilissimam, methodumque ipsius quam adeptus sum, simplicissimam brevissimam que esse, ut in his observationibus apparet; opere pretium factum me esse existimavi, si Dissertatio nem hanc cum praedictis observationibus bre vissime scriberem, eamque in Doctissimam Regiam Chirurgicam Academiam Parisiensem transmit tendam curarem.

Observatio atque Historia 1.a

Anno 1766 die 7 mensis Junii Nosocomium Rega le, et Generale Valentinum ingressus est Joseph Fer nandez Oscensis annos natus quinquaginta quin que, temperamento lymphatico, qui iam quinque mensium spatio hydropesia abdominis laborabat ê Terciana febre, â qua hieme anteriore correptus fuit, orta. Sed tamen cataplasmatis emollientibus trium dierum spatio adhibitis evanuit Hydropesia. Animadverti deinde coecum illum esse cum duabus cataractis quinque anno rum quae ab aere frigidissimo Savoniae originem habuere. Levi illum cathartico praeparavi, ac decima sexta Junii ope rationem extractionis cristallini in oculo sinistro peregi, visum que statim recuperavit. Illum deinde, facta deligatione ma dida cum aqua tepida, et parva spiritus vini quantitate

supine in lecto reclinavi, praedictamque curationem diebus omnibus iteravi. Decimo die venam braquii secari iussi, ac decimo quinto oculus perfecte cicatrizatus erat cum optimo visu. Juramento denique praedictus Joseph Fernandez firmavit se parum doloris in operatione passum fuisse.

Observatio et Historia IIa

Die 21 mensis Junii anni 1766 Benedictus Lopez Patria Ahina 45 annos natus, temperamento sanguineo, accessit in Nosocomium coecus cum duabus cataractis à nimio Solis aestu causatis, quiiam unum annum expleverat ab eo tempore quo ipsis laborare coepit. Primo die clisterem propinavi. Vigesimo secundo catharticum. Vigessimo quarto venae sectio in braquio dextro facta fuit. Vigessimo sexto iteratus fuit clister emolliens. Vigessimo septimo tandem lentis cristallinae extractionem ab oculo sinistro feci, qua peracta visum statim recepit. Deinde emplastrum adhibui deligationemque madidam feci, cum parva spiritus vini quantitate, atque in lecto supinum cubare iussi. Post dimidiae horae spatium vena braquii secta fuit, et curationis methodo iterata, die decimo quinto absque inflamatione ulla oculus cicatrizatus fuit, ac visus

recuperatus. Denique non secus atque alter, in
firmus iste iuravit minimum dolorem in ope
ratione se fuisse expertum.

Duo cristallini extracti opaci et pallidi erant qui
in spiritu vini apud me sunt. Quamvis autem plu
rimi operationes praedictas, atque curationes vide
rint; e re tamen futurum esse existimavi, si Pu-
blicus Nosocomii istius Scriba confessionem eorum
iuratam, eorumque testimonia qui operationes vi
derunt in scripturam authenticam redigeret (quod
re ipsa factum est) ut omnis dubitandi occasio pe
nitus praecluderetur.

Historia Oculorum Anatomica

Nihil aspectu pulchrius quam oculus, nihilque
admiratione dignius quam ipsiusmet oculi orbita
in cavitate ossea assignari potest. Eius figura ob-
longa et pyramidalis est, quae basim extrorsum
obversam, introrsum vero accumen desinens habet.
Color vel griseus est vel ceruleus, aut glaucus. In ex
teriores interioresque partes dividitur, quarum pri
mae ipsum contegunt, posteriores vero in orbita ocu
li globum constituunt. Supercilia pilis oblique dispo
si constant quae sudorem e capite fluentem avertunt

et luci modum praescribunt.

In quolibet oculo superior et inferior palpebra distinguuntur. Musculi palpebram superiorem moventes duo sunt, quorum unus attollens, deprimens alter nuncupatur. Oculorum anguli partes illae sunt in quibus superior palpebra inferiori conjungitur, qui prope Nasum maiores seu interni dicuntur, versus tempora vero minores seu externi nuncupantur. Prope minorem angulum supra oculum posita est glandula lacrymalis, quae serositatem filtrat ut motum faciliorem reddat.

Caruncula lacrymalis in maiori oculi angulo existit, quae cum membrana semilunari ad deferendas lacrymas in puncta lacrymalia deservit. In margine cujuslibet palpebrae prope angulum maiorem foramen angustum invenitur quod punctum lacrymale nuncupatur. Ciliae in marginibus palpebrarum pili sunt in modum arcus dispositi ad impediendum ne res adhuc levissimae oculis illabantur, simulque ad modum luci constituendum.

Globulus oculi ex pinguedine, musculis, vasis, membranis, et humoribus constituitur. Multum inest pinguedinis orbitae ad plurimos usus. Musculi sex distinguuntur: attollens seu superbus qui oculum attollit; deprimens aut humilis, qui oculum deprimit; adducens aut bibitorius, qui oculum versus nasum adducit ut in bibendo conspicitur; qui denique oculum ad angulum minorem convertit indignatorius appellatur. Atque hi quidem musculi qui in quatuor oppositas partes oculum dirigunt, recti appellantur: qui enim oblique aut circulariter oculum movent, obliqui, amatorii sive pathetici dicuntur. Varii sunt nervi qui per musculos membranas, palpebras, et glandulas distribuuntur; sed principem locum sibi vindicat opticus, qui in retinam conversus organum primarium visionis constituit.

Oculorum tunicae sunt Albuginea vel Adnata aut Coniunctiva, Cornea, Sclerotica, Choroydea, Ruyschiana, Retina, et Arachnoides. Coniunctiva quae prima est oculi membrana, ita dicitur quia ceteras concludit, et ad Scleroticis marginem terminatur, plurimis exiguis cana-

libus arteriarum, et venarum circumfusa.

Secunda autem Cornea nuncupatur quae instar cornu dura quidem sed pellucida est. In parte anteriori diaphana est et magis convexa, multis laminis constans per quas lux ad infima pervenit; qua de causa dicitur Cornea transparens. In posteriore autem parte sive in fundo ipsius opaca et densior est, quae Sclerotica sive dura nuncupatur: quae tamen continua est.

Altera Choroydea dicitur quae iuxta Sclerotidem est, ita dicta quia Chorion in structura refert. Uvea etiam nuncupatur, quoniam in parte anteriore uvae similis est, detractoque pediculo perforata conspicitur cui cum fibrae adhaereant circulares coloribus variis gaudentes, iridis etiam nomen sortitur. Est etiam vasculosa: ac denique foramen illud quod pupilla etiam appellatur, à circularibus fibris iuxta variam lucis copiam expansis aut contractis, amplius quoque aut angustius efficitur.

Ruyschius aliam tunicam adhuc in Choroydea invenit, quarum exterior Choroydea dicitur, interior autem Ruischiana nuncupatur, ut facile perspici potest in Dissertatione Anatomica tunicae Choroydeae

oculi in Academia Julia Amstelodamensi die 16 Julii anni 1746 à D. Johanne Sigismundo Leincker propugnata, et in praeparatis Ruischyanis.

In pupilla aliae sunt fibrae orbiculares rectilineae, atque aliae etiam quae orbiculares appellantur, et ligamentum Ciliare quod ad vitrei et cristallini motum deservit.

Retina ex dilatatione nervi optici constructa tenerrima, mucosa difflabilis intra Choroydeam in similem Choroydeae spheram expanditur, et corpus vitreum amplectitur, in qua obiectorum etiam impressio efficitur.

Arachnoydes instar araneae tenuis est, humoresque cristalinum et vitreum continet. Diaphana etiam et vasculosa, et si in anteriori parte solvatur, statim lens cristallina abit à vitreo.

Tres etiam humores in oculo distinguuntur, qui in tunicis praedictis continentur, aqueus nimirum, cristallinus, et vitreus. Aqueus ita dicitur quoniam aquae ad instar fluidus est, et pone corneam reperitur, quam tantillum prominere facit; si morbo aliquo assumtus, aut vulnere aliquo evacuatus fuerit, statim restauratur.

Vitreus sic nuncupatur quoniam vitro colliquato similis est; Partem oculi posteriorem replet pone cristallinum ubi hoc in illo includitur, et deficien te cristallino remigium suplet.

Cristallinus aut lens cristallina sic appellatur, quia solidus est, gra vis, ac diaphanus instar cristalli, et figuram len ticularem habet. Pone Uveam inter aqueum et vitreum sedem habet. In anteriori sui parte planus est; in posteriori vero aliquantulum convexus in= cluditur in vitreo, et cum Arachnoyde contine tur.

Praedictae tunicae deserviunt ad humores con tinendos, hi autem ad lucis radios frangendos, ut diversis eiusmodi refractionibus lucis radii ab obiecto resilientes directe uti in terminum in punctum illud perveniat, quod ab optica pro obiectorum representatione requiritur.

De Cataracta

Tot super hoc re distinctae discrepantesque sententiae in medium prodiere, ut qui in mira earum varietate ac discrepantia certi aliquid definire velit insanus ille sit necesse est. At Chi rurgi sapientissimi, atque in experimenta anato mica observationesque oculorum cataractis corrept

torum magnopere propensi veram cataractae essentiam constituunt in abolitione visus cum alieno pupillae colore.

Quoniam vero pars affecta frequentissime esse solet lens cristallina, ea mihi pluribusque aliis Auctoribus placet definitio, quae Cataractam esse dicit: Opacitatem cristallinae lentis cum visus abolitione.

Difae Cataractarum species plurimae distingui possunt, quae tamen utpote multiplicatae inutiles sunt: atque ideo melius cum M.r Daviele in veras et falsas dividuntur. Cataractae membranaceae rarissime occurrunt.

Causae Morbi istius causae vel internae, vel externae esse possunt: et non raro a nimia lentis cristallinae siccitate, a gravi ophtalmia, imprudenti colliriorum calidissimorum applicatione, a gravissimis capitis doloribus, lue syphylitica, magna musculorum rectorum contractione, ab asidua nimis lectione librorum ad lucernam, et ab inordinato balneorum usu originem habet, necnon a contusione, et omni eo quod fluxionem ad oculos promovere valeat.

Cataractae initio, visus oritur hebetudo, adeo ut simulacra varia ante oculos volitare videantur, scilicet pili, araneae, et similia. Densa deinde nubecula percipitur, et visionis abolitio contingit; sed pathognomonicum cataractae signum est quaedam nubecula aut opacitas pone uveam in pupilla cum visus abolitione.

Progn. Si Cataracta correptus versus Solem constitutus lucem ipsam percipiat et cataracta claudatur vel minuatur, vel dilatetur, spes curationis restat per cristallinè extractionem, ubi medicamenta non prosint. Si vero lucem nullam percipiat velut omnino incurabilis habetur, quoniam cataracta cum Amaurosi commiscetur. Deinde autem si clauso et aperto oculo in quo est cataracta, Uveae foramen neque comprimitur, neque dilatatur, frequenter incurabilis est.

Varii cataractarum colores et tempora distinguuntur; incipientis nempe et confirmatae seu maturae aut lactescentis varietas non impedit operationem per extractionem, sed solum per depressionem: atque ideo quocumque in tempore absque ullius coloris discrimine, dummodo sanus oculus existat, cataractae extractio fieri potest ad visus recuperationem.

Curatio

Quamvis autem ad cataractarum curationem plurima in Auctoribus inveniamus; tamen omnia medicamenta quae in illius initio utilia esse possunt evacuantia sunt, sudorifera, ac disolventia praesertim Mercurialia. Ubi vero interna non prosint, operatio manualis ad curationem adhibenda est, quae per depositionem, aut per extractionem peragitur. Quoniam itaque in depositionis operatione cataracta adhuc in oculo remanet; si sursum illa revertitur, rursus pariter visus amittitur. Quamobrem Mr. Daviel in oculorum morbis expertissimus cum extractionis utilitatem agnovisset postquam depresionis operationem per plurimos annos exercuisset; tandem secum ipse constituit nullam ulterius per depositionem, sed omnes per extractionem operationes esse faciendas. Quod ita optime adimplevit, ut anno 1752 ducentas et sex extractas habuerit, ex quibus centum octoginta duae auspicatissime contigerunt. Etsi autem methodus extractionis cristallini pluribus in usu fuerit; omnium tamen peritissimus existimandus est Ludovicus Beranger Mr. Davielis Discipulus qui statim ac in Hispaniam

advenit extractiones plurimas summa cum dexteritate in Mantua Carpentanorum peregit; qui deinde in Galliam profectus, simpliciorem ibi breviorem que operationem reddidit, adeo ut unico solummodo instrumento ad eiusmodi operationem opus haberet, cum quatuor antea instrumentis Mr. Daviel eius Magister uteretur. Celeberrimi denique Professores, qui operationem in oculis exercitam à Mr. Daviel viderunt, eamque utilissimam existimarunt, totis viribus et conatu incubuerunt ut in compendium illam redigerent. eiusmodi sunt Mr. Garengeot, Mr. de la Faye, Mr. Poyet, Mr. Tenon, Sharp, qui omnes in forma instrumenti discordant: Verum tamen praeferendam omnibus aliis existimo methodum Ludovici Beranger.

Mr. Petit. Saint Ibes, et Mery peritissimis hisce Professoribus viam extractionis cataractae per corneam praemonstrarunt.

Modus operandi

Praeparatus aeger sede sedet, à luce tamen ita conversus ut corpus habeat coniectum in latus. Chirurgus in sede alia sedet paululum altiori ante ipsum aegrum. Qui adiuvat Chirurgum subigere debet palpebram superiorem cum uncino obtuso; palpebra autem inferior deprimitur cum herina crassa. Si oculus fuerit sinister, rectus scalpelus adhibetur cuius est Auctor Mr. Berranger, ita ut lata instrumenti pars dimidio corneae transparentis diametro correspondeat, atque immittitur per partem sinistram corneae unam solum lineam distantem à coniunctiva: in progressu vero incisionis in oppositam partem ipsius corneae dimidia pars corneae scinditur: quibus peractis uncinus et herina auferuntur, subtilique spatula argentea pars superior globuli oculi iucunde concutitur, ut cristallinus egrediatur: quod si aegre fieri contingat, cum forcipe exigua auferetur scissa cornea; et scalpeli cuspis per prunellam introducta inferiorem anterioremque capsulae

cristallini partem scindit, qua concussione fac
ta lens cristallina statim abit et visus adqui
ritur. Postea fit deligatio cum linteo triplicato
madefacto cum aqua tepida, et exigua vini
spiritus quantitate. Denique fasciantur oculi,
atque in curatione progreditur praedictis fo
mentis adhibitis. Vena secatur quotiescum
que oportuerit ad praecavendam inflamma
tionem quae breviter cicatrizatur.